

At, quæ *Helmont.* de Archæo suo iratô profert, nullius ferè sunt momenti. Acor ille videtur esse NONENS, si ut distinctum quid venditetur ab humoribus. Archæus admitti potest, si pro expultrice facultate accipiatur. Hæc si irritetur in partibus robustioribus, saburram exonerat in artus.

CAPUT VIII

causas mediatas remotiores indagat.

MEDIATÆ causæ distinguuntur in naturales, non-naturales & præter naturales.

NATURALIUM in censu primum tenet locum ἡ ἀδύναμις τοῦ μορίου, *DEBILITAS partis recipientis.* Hanc præter ἐπύρρυσιν ἐπὶ τοῖς πόδασι χυμοῦ πλεονεξία, *influxum in pedes superflui succi in podagra requirit Galenus 6. aph. 28.* Fluxio hæc requirit partes imbecilliores, ad quas fluere possit. Occasionem siquidem ita arripit pars nobilior, & sibi molestum ad ignobiliores detrudit, quæ, dùm repugnare non valent retinere coguntur. Quadrat itaque huc versiculus ille Poëtæ Venusini, Lyricorum principis:

Quicquid delirant Reges, plebuntur Achivi.

In macrocosmo magis potentes minùs potentes opprimunt; sic etiam in microcosmo talis respublica invenitur, quæ Aristoteli ἀεισημερία vocatur.

Συγγενής, *connata*, imò hæreditaria quandoque est hæc debilis dispositio, nonnunquàm adscititia.

Hæreditaria est, quando in sanguine maternô vel feminali virili contagio ejusmodi latitant dispositiones ad morbum hunc contrahendum, quæ à parentibus, qui iisdem fuere obnoxii, in liberos transplantantur, & ita non solùm bonorum, sed etiam malorum fiunt hæredes. *Adventitia* ex erroribus nascitur externis.

II. **S**EXUS unus præ alterô inclinatur ad hunc morbum. ἄνδρες μὲν, *inquit Aretæus cit. loc.* παθεῖν ῥηίτε ἐπι γυναικῶν, ἀργιότερον μὲν ἀνδρῶν, *viros facilius, rariùs verò mulieres tentari podagra.*

Mulieres excipit Hippocrates, nisi ipsis τὰ κατὰ μῆνια, *men-*